



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvtatio CXI. De nonnullis divisionibus gratiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



# DISPV TATIO CXI.

## De nonnullis divisionibus gratia.

### SECTIO PRIMA.

#### Divisiones quedam gratia proponuntur.

I. *Gratia in naturalem & supernaturalem diuisio.*



PRIMA itaque diuisio gratia jam posita est, qua nimirum dividitur in naturalem & supernaturalem: circa quam solum notandum, gratiam seu beneficium supernaturale duplex esse, quoad substantiam scilicet & quoad modum: gratia supernaturalis quoad substantiam illa est, quae simpliciter, & in entitate talis est atque à nullâ vi creatâ produci naturaliter potest. Talis est gratia habitualis, & habitus infusus, unio hypostatica; & similia. Gratia verò seu beneficium supernaturale quoad modum est quod simpliciter naturae vires non superat; in his tamen circumstantiis produci ab iis sine auxilio hic & nunc indebito non potuisset, ut visus caeco restitutus &c.

*Gratia supernaturalis duplex, quoad substantiam, & quoad modum.*

II. *Diuisio gratia in creatam & increatam.*

Dividitur secundò gratia in creatam & increatam: hæc (quæ est vera gratia & maximum beneficium nobis gratuito à Deo collatum) est primò ipsa dilectio & voluntas Dei, quâ nos gratis ab aeterno amavit, & dona nobis supernaturalia ex benignitate suâ & munificentia conferre voluit. Præterea Verbum ipsum divinum fuit verissima gratia, & maximum beneficium humanitati Christi, & nobis per Incarnationem collatum. Deinde Deus verè se & suam entitatem increatam dat hominibus per visionem beatam: unde in materia de visione cum communi Theologorum sententia ostendimus beatitudinem nostram, non esse visionem tantum, sed etiam Deum, & ex utroque unum integrari finem ultimum completum.

*Gratia in creatam & increatam explicatur.*

III. *Spiritus Sanctus est verè donum, & gratia.*

Spiritus Sanctus item in Scripturâ dicitur verè nobis datus, unde & vocatur donum & gratia: *Charitas Dei*, inquit Apostolus ad Romanos 5. v. 5. *Diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: quod optimè tradidit Sanctus Augustinus Sermone 61. de verbis Domini cap. 1. his verbis, *Gratia quippe Dei, Donum Dei est, donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideo gratia dicitur.* Quod ulterius confirmatur; sicut enim concursus generalis Dei increatus, in actu primò debitus libero arbitrio, non est donum omnino gratuitum, utpote quid aliquo modo illi connaturale, ideoque non censetur gratia, sed natura, ut inter alios bene advertit Stapletonus lib. 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 1. ita dilectio, & alia increata, planè naturæ indebita, rectè censeri possunt gratia. Gratia vero creata sunt dona ipsa supernaturalia, quæ Deus in tempore homini infundit: de quibus reliquis nobis erit sermo.

*Notio gratia ulterius declaratur.*

IV. *Gratia sanctificans & gratis data.*

Tertiò itaque dividitur gratia in gratiam sanctificantem, & gratis datam. Per priorem non gratiam tantum habitalem intelligimus, quæ formaliter per se iustificat, & habitus infusos eam consequentes, sed dona omnia supernaturalia, quæ ad

sanctificationem illa accipientis quoquo modo ordinantur, ac proinde includit auxilia etiam actualia, & inspirationes, quæ vel ad primam iustificationem, vel illius augmentum tendunt. Per gratiam vero gratis datam (licet nulla sit gratia, quæ non detur gratis) intelligunt Theologi dona illa, quæ alicui ad bonum aliorum infunduntur: quare ut docet S. Thomas 1. 2. q. 172. art. 4. etiam in peccatoribus reperiri possunt. Idem asserit Sanctus Gregorius homilia 17. in Ezech. & confirmat ex verbis illis Christi Matth. 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Ad idem propositum loquitur S. Paulus 1. ad Corinthios 13. initio: *Si linguis hominum loquar & Angelorum &c. Si habuero prophetiam, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

*Quid nomine gratia gratis data propriè intelligatur.*

*Gratia gratis data inveniri non possunt in peccatoribus.*

Gratiae gratis datæ communitè numerantur hæc novem, quas ponit Apostolus primæ ad Corinthios 12. v. 8. his verbis: *Alii per spiritum datur sermo sapientie, alii sermo scientia secundum eundem spiritum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spiritum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* De quibus subtilissimè Suarez hic Prol. 3. cap. 5. per totum, & optimè eas declarat S. Thomas q. 111. art. 4. nec circa illas aliud occurrit notandum, quàm quod gratia gratis datæ, licet primariò ad aliorum, totiusque etiam Ecclesie bonum ordinentur, possunt nihilominus nonnunquam conferre ad bonum habentis: sicut e contra gratia sanctificans licet per se & primariò spectet ad utilitatem illius in quo est, per accidens tamen ad aliorum bonum redundare potest.

V. *Gratia gratis data numerantur novem.*

*Gratia gratis data primariò ad aliorum bonum ordinantur, conferunt tamen interdum ad bonum habentis.*

### SECTIO SECUNDA.

#### De gratia excitante & adjuvante.

QUARTA gratia diuisio ad primum membrum spectat divisionis præcedentis, gratiam scilicet sanctificantem, quæ ulterius dividitur in habitalem & actualem, de quibus deinceps agemus: deinde in excitantem & adjuvantem, in operantem & cooperantem, in prævenientem concomitantem & subsequentem, in sufficientem & efficacem: quæ omnes suis quæque locis sunt examinanda.

I. *Quidam gratia sanctificans diuisio.*

Divisionis itaque gratia in excitantem & adjuvantem meminere S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 18. *Quo modo, inquit, ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus.* Eandem etiam latè declarat Concilium Trid. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 3. & 4. Quam in rem pulchrè S. Bernardus lib. de Gratia & Libero arbitrio, propè finem:

II. *Gratia excitans & adjuvans.*

S. Augustinus. *Conatus,*



S. Bernardus Conatur, inquit, nostri ad bonum casti sunt, si non adjuventur, & nulli, si non excitentur.

III. Gratia excitans est illa, qua Deus primò hominem movet & excitat, atque ad bene agendum invitat; quæ motio est in genere causa moralis & intentionalis: Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, ut loquitur Concilium Tridentinum, cap. 6. citato, juxta illud Apocalypsis 3. Ego sto ad ostium & pulso. Ad hanc proinde spectant illuminationes omnes, & inspirationes, ac motus etiam plerumque voluntatis, quibus homo incitatur ad bonum: unde gratiam excitantem in vitali aliquâ motione & operatione consistere indubitatum videtur.

IV. Dixi, motus voluntatis hic etiam plerumque intercedere, illos nimirum, quibus homines indeliberato quodam modo, vel in bono delectantur, & pellicuntur, vel terrentur à malo, & consequenter facilitatur per hos motus profectio illius, hujus fuga. Hujusmodi tamen motus voluntatis non sunt de essentiâ gratiæ excitantis. Ratio est, quia gratia excitans simpliciter in eo solum consistit, quod ad consensum eliciendum est necessarium, non verò in eo quod tantum facilitat; cogitatio autem quæ plenè repræsentat & proponit objectum, sufficit ut voluntas illud amplectatur, idque vel actu naturali vel supernaturali, si adsint principia supernaturalia, physicè sufficientia. Deinde Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. ait exordium justificationis sumi à gratiâ præveniente, id est, inquit, à vocatione; ergo in solâ vocatione constituit essentialiter gratiam prævenientem, seu excitantem: vocatione autem ad intellectum pertinet; imò inspiratio idem sonat ac illuminatio, nam Concilium Arafricanum ait Fidem inspirari à Deo.

V. Licet ergo, quando imperfecto quodam modo, ut frequenter fit, immituntur inspirationes seu cogitationes, oriuntur etiam quidam motus, sive ii naturales sint entitativè, ut contendit P. Vasquez disp. 185. sive supernaturales ut volunt alii, sicut etiam contingit in naturalibus, ubi ad hujusmodi imperfectas cognitiones sequuntur indeliberati quidam affectus, qui motus primò primi appellantur: at verò quando plena & perfecta habetur objecti cognitio, potest immediatè voluntas liberè in illud ferri. Unde in Angelis negant plurimi motus hosce indeliberatos reperiri; ergo non sunt de essentiâ gratiæ prævenientis, seu excitantis: & idem dicunt nonnulli de hominibus in statu innocentiz. Imò aliquando contra inclinationem naturalem, etiam vehementer amplectitur objectum aliquod voluntas; ergo tunc fit præcisè ratione illuminationis, & actus intellectus.

VI. Neque huic contrarii sunt S. Augustinus, & alii Patres dum gratiam Dei movere animam dicunt mediâ suavitate cordibus infusi; item Deum dare omnibus incredibilem suavitatem in credendo & consentiendo; voluntatem etiam non moveri, nisi aliquid occurrat, quod delectet animam, & id genus alia: vel enim loquuntur de ipso consensu libero, qui in nobis fit cum delectatione, vel de suavitate objectivâ, quam, ubi apparet in objecto repræsentata per actum intellectus, amplectitur voluntas, eique præbet consensum.

VII. Deinde, quando aliud præter cognitionem requirunt Patres, ad hoc ut præbeatur consensus, nos aliud etiam ponimus, nempe gratiam adjuvantem, seu auxilium supernaturale, ad consensum eliciendum physicè concurrans. Deinde solum docent contra Pelagium, non sufficere scientiam legis & doctrinæ, exterius propositam, seu scientiam speculativam naturaliter acquisitam, sed ulterius requiri doctrinam quandam internam, à Deo animæ infusam, & ad eam movendam proportionatam. Hæc est clara mens S. Augustini, qui gratiam excitantem congruam semper ferme ponit in actu intellectus: sic lib. de Gratiâ, cap. 23. & de Prædestinatione Sanctorum, c. 8. ait eam sitam esse in internâ illa doctrinâ, qua fiunt homines docibiles Dei, &c. item de Spiritu & Lit. cap. 33. Visorum, inquit, susceptionibus agit Deus ut velimus. Denique ita frequenter gratiam hanc prævenientem seu excitantem statuit S. Augustinus in vocatione, quæ propriè est actus intellectus, ut nullus de mente ipsius ambigendi relictus sit locus. Tandem dici potest loqui Patres, non de eo quod ad gratiam excitantem simpliciter est necessarium, sed quod ut plurimum contingit; ut plurimum autem oriuntur hujuscemodi motus in voluntate, quibus ad rectè agendum invitamur, & trahimur.

Quamvis motus voluntatis spectant ad gratiam excitantem.

Motus voluntatis non spectant ad essentiam gratiæ excitantis, sed soli actus intellectus.

Negat nulli dari motus indeliberatos in Angelis.

Quo sensu dicant Patres, Deum movere animam mediâ suavitate cordibus infusi.

Qua ratione ad consensum eliciendum aliud requirunt Patres præter actum intellectus.

SECTIO TERTIA.  
Alia quedam de Gratia excitante & adjuvante.

HANC gratiam excitantem operatur Deus in nobis sine nobis, ut loquuntur Theologi, desumptumque est ex S. Augustino de Gratiâ & Libero arbitrio, cap. 17. ubi Deus, inquit, ut velimus sine nobis operatur, id est gratiam illam excitantem, seu actum intellectus independentem à nostrâ libertate, sicque sine nobis, non quidem physicè concurrentibus, cum hæc gratia sit actus vitalis, sed sine nobis liberè consentientibus; unde meritò actio illa soli Deo tribuitur, qui liberum nostrum arbitrium, seu voluntatem formo, ut ita dicam, desiderat vel peccati oppressam, interno hoc clamore vocationis & sanctæ cogitationis excitat, & paulatim ad consensum liberè eliciendum perducit: ita Suarez lib. 3. de Auxiliis, cap. 4. initio, Vasquez hic, disp. 185. cap. 2. Molina in Concordiâ, quest. 14. & alii communiter.

Circa gratiam adjuvantem dicendum cum Belarmino lib. 1. cap. 2. Suarez loco proximè citato, Molinâ & aliis, præcipuè sitam esse in supernaturali auxilio effectivo, per quod quis potens efficitur ad consensum præstandum: sic enim S. Augustinus de Corrept. & Gratiâ, cap. 10. asseruit fuisse in Adamo gratiam adjuvantem, id est auxilium sufficiens divinæ gratiæ citra consensum. Quare frustra aliqui contendunt gratiam adjuvantem nihil aliud esse, quam ipsam gratiam excitantem, prout voluntati jam consentienti assitit intentionaliter, & movet ad consensum. Ad hanc ergo gratiam pertinet quicquid tenet se ex parte actus primi in ordine supernaturali ad coëfficiendum simul cum homine consensum pium, quales sunt habitus infusi, & quicquid illorum loco sive internum, sive externum ad eundem finem conferitur. Utrum autem inter partes gratiæ adjuvantis numerari debeat concursus simultaneus Dei ad actus supernaturales, ut vult Suarez lib. 2. de Auxiliis, cap. 3. questio fortè est de nomine, cum concursus generalis supernaturalis non minùs debeat causæ create supernaturali completæ, quam concursus generalis naturalis causæ naturali: quare hoc negat Molina q. 14. a. 13. citato.

It 2

Dico

Offenditur S. Augustini gratiam excitantem statueri in actu intellectus.

I. Gratiam excitantem operatur Deus in nobis sine nobis.

II. In quo sensu sit essentialis conceptus gratiæ adjuvantis.

Gratia adjuvans distinguitur ab excitante.

Quædam præsent ad gratiam adjuvantem.



III. *Positum in aliquo vero sensu gratia excitans dicitur adiuuans.*

*Moraliter tantum, non physice gratia excitans dicitur ad consensum.*

IV. *Uterius ostenditur gratia excitantem non concurrere effectiue ad consensum.*

V. *Gratia excitans, moraliter tantum concurrat ad consensum.*

VI. *Visio beatifica intentionaliter tantum concurrat ad amorem beatificum; ergo idem est de cognitione abstracta in via.*

*Uterius declaratur quomodo gratia excitans non concurrat effectiue ad consensum.*

Dico ulterius, ipsam gratiam excitantem, quatenus existens in homine movet & allicit eum ad consensum, posse non incongrue censei gratiam adiuuantem, cum vere det vires ad consensum eliciendum, & consequenter ad illum finem vere & proprie conductit, ac iuvat, non quidem physice influendo, ut vult Molina in Concordia, q. 14. art. 13. d. 38. Bellarminus lib. 1. de Gratia & Libero arbitrio, cap. 13. Lessius de Auxiliis, cap. 2. & alii nonnulli; cum enim in Concilio Tridentino, & Viennensi sub Clemento V. definiatur ut probabilis, & sanctis Patribus conformius, dari in homine iusto habitus supernaturales, seu infusos, & praterea requiratur gratia excitans, seu sancta aliqua illuminatio, & inspiratio (habitus quippe habent se mortuo modo, nec ad excitationem, quam hic requirunt Theologi, sufficient) hoc, inquam, cum ita sit, non videtur gratia excitans posse ad actum consensum concurrere effectiue; superflua siquidem in ea foret huiusmodi virtus, cum habitus supernaturales id abunde praesentent.

IV. Addo, si gratia excitanti tribuatur virtus concurrendi ad actum consensum effectiue, superflua fore virtutem effectivam in habitibus supernaturalibus, praesertim cum hi auctores asserant gratiam excitantem seu sanctam illam cogitationem habere per se virtutem sufficientem adequate ad actus illos supernaturales producendos, & de facto eos aliquando producere; ergo frustra statuitur virtus haec effectiva in habitibus supernaturalibus, cum virtus illa sit frustra, quae semper supponit virtutem sufficientem ad effectum.

V. Probabilis ergo est, quod asserat Suarez lib. 3. de Auxiliis, cap. 4. num. 10. gratiam scilicet excitantem seu cogitationem illam congruam non concurrere physice & efficienter ad consensum, sed intentionaliter solum, & in genere causae moralis, tum ob rationem iam positam, tum quia in naturalibus cognitio non alio modo quam intentionaliter concurrat ad volitionem proponendo, scilicet obiectum.

VI. Hoc idem tertio probatur: visio enim beatifica, quae est supernaturalis, determinat ad amorem in patria, & tamen requiritur & statuitur ab omnibus habitus Charitatis; ergo visio ad amorem illum non concurrat effectiue. Dices requiri habitum Charitatis ex parte potentiae; visio enim tenet se ex parte obiecti, utpote illud representans. Contra primo: non est necessarium ut obiectum concurrat efficienter ad amorem, sed ad solam cognitionem, unde ortum habuit commune illud dictum Philosophorum, ex obiecto & potentia paritur notitia. Contra secundo: si visio & cognitio teneant se solum ex parte obiecti, ergo nunquam potest gratia excitans, seu cogitatio illa a Deo immissa producere per se adequate consensum, cum ulterius requiratur aliquid elevans ex parte potentiae, & tamen hi auctores ideo solum cogitationi tribuunt concursum effectivum, ut scilicet producat per se consensum in absentia habitus. Tandem gratia excitans non semper videtur esse de eodem obiecto cum consensu, sed aliquando ex cogitatione de misericordia vel iustitia Dei, de poenis inferni, gaudio beatorum &c. movetur quis ad contritionem, & varios aliarum virtutum actus eliciendos.

SECTIO QUARTA.

Conclusio circa modum concurrendi gratia excitantis.

GRATIA itaque excitans, seu cogitatio illa ad gratiam adiuuantem in genere causae solum moralis, & intentionalis spectat, non Physica. Quando autem non habet adhuc quis habitus infusus, difficultas est, quid concurrat per modum gratiae adiuuantis, physice eliciat actum contritionis verbi gratia, vel amoris, aut alterius virtutis. Suarez citatus cum aliis affirmat, actus harum virtutum in eo casu produci per extrinsecam Dei assistentiam, quod licet supra Disp. 14. sect. 3. & 4. cum eodem Suariorum, Vasquez, Molina, Valentia, Arrubale, Sales, Tannero, Fericce, Maratio & communi sententia existimaverim non esse impossibile, ut voluit Thomista, & recentiores nonnulli, de facto tamen connaturalius videtur, ut fiat per auxilium aliquod intrinsecum transiens, seu secundum diversas suas partes fluens: ideo namque in peccatore relinquuntur habitus Fidei & Spei, ut nimirum actus illarum virtutum connaturalius orientur intrinsece ab illo subiecto, ergo similiter dicendum videtur ad reliquas etiam operationes aliarum virtutum, quarum non manent habitus, connaturaliter eliciendas infundi debere auxilia quaedam intrinseca, seu qualitates eiusmodi transeuntes, horum actuum effectivas.

Obijciunt auctores primae sententiae Concilium Tridentinum affirmans ses. 6. cap. 5. nos gratia excitanti assentiendo, eidem cooperari, ergo & illa nobis etiam cooperatur, cum sint correlativa, ergo etiam physice nobiscum ad consensum concurrat. Contra primo: idem Concilium sessione 6. cap. 10. asserit, in iustificatis habentibus habitus infusos, fidem ad actus virtutum ab iis elicitos cooperari, & tamen non alio modo concurrat fides ad actus charitatis, humilitatis, religionis &c. quam intentionaliter, proponendo scilicet obiectum, & per hoc voluntatem alliciendo ad honestatem in obiectis illis, aut actibus amplectendam. Contra secundo, hoc siquidem probaret contra adversarios, gratiam excitantem concurrere efficienter ad consensum, seu actus bonos, ut desiderium beatitudinis, odium peccati &c. quatenus impedit beatitudinem & alios huiusmodi, etiam quando adest habitus infusus, seu principium illorum elicitivum sufficiens: nam hi actus in peccatore secundum communem sententiam Theologorum elici possunt ab habitu spei.

Respondetur itaque, tam gratiam adiuvantem, quam excitantem ad actum bonum, seu consensum concurrere, & nobiscum ad eum cooperari, sed utramque in suo genere, illam physice & efficienter, hanc moraliter, suadendo nimirum & alliciendo, consulens siquidem & suadens, ei semper cooperari dicuntur, qui operationem aliquam, homicidium exempli gratia, aut quid simile, ejus inductione perpetrat. Nec obstat quod Concilium ibidem asserat gratiam & excitare & adjuvare; licet namque utrumque munus gratiae tribuat, non tamen quidquam ibi dicit, utrum necne inter se distinguantur.

I. *Gratia ergo excitans non physice, sed in solo genere causa moralis & intentionalis concurrat ad consensum.*

*Connaturalius elicitur utrumque auxilium intrinsecum, quam per assistentiam extrinsecam.*

II. *Quae sententia dicit Concilium Tridentinum non assentiendo cooperari gratia excitanti.*

*Sequitur contra adversarios gratiam excitantem concurrere efficienter, etiam quando adest habitus infusus.*

III. *Tam gratia excitans quam adjuvans concurrat ad consensum, illa moraliter, haec physice seu efficienter.*



SECTIO QUINTA.

De gratia operante & cooperante, praeveniente & subsequente.

**I.** **H**INC facile declaratur divisio gratiae in operantem & cooperantem, quae fere cum praecedente coincidit. Gratia itaque operans primo dici potest eadem cum excitante, cooperans cum adjuvante, sive physice sive moraliter concurrente, ita ut cogitationem etiam congruam, prout eam sectione tertia ad gratiam adjuvantem reduci possedimus, includat. Gratia proinde cooperans non solum est habitus infusus, vel auxilium aliud, sive intrinsecum sive extrinsecum, quod physice & efficienter concurrat ad consensum, sed etiam ipsa gratia excitans, prout actu movendo & suadendo cooperatur moraliter voluntati. Hoc frequenter affirmat S. Augustinus, ut de gratia & libero arbitrio, cap. 17. *Ut velimus, inquit, operatur in nobis, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.* Gratia itaque operans est per quam Deus operatur bonum in nobis sine nobis, liberè scilicet concurrentibus, juxta illud ad Ep. 1. v. 12. *Qui operatur omnia &c.* gratia verò cooperans est qua operatur nobiscum, juxta illud 1. ad Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

**II.** Alio modo hanc divisionem accipiunt aliqui, ut scilicet gratia operans sit gratia quae efficit primam conversionem liberam, ad quam licet consentiamus liberè, non tamen determinamus nos ad illum consensum per aliquam praecedentem intentionem liberam: gratia verò cooperans illa est, inquit, qua jam conversi proficimus: ita Bellarminus lib. 1. cap. 2. & alii: quae acceptio est probabilis, & non leve habet in Sancto Augustino fundamentum.

**III.** Alia etiam est divisio gratiae nempe in praevenientem, quae eadem est cum excitante, seu operante; & subsequente, quae est gratia illa, qua Deus post justificationem nos in gratia conservat, tollendo scilicet impedimenta bene operandi, & vires ad perseverantiam suppeditando. Sine hac jugi gratia Dei, sive ea praecedens sit, sive subsequens, inquit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. ultimum, non possunt opera nostra placere Deo, & esse meritoria. Hae divisio desumpta est ex sacra Scriptura, nam Ps. 58. v. 11. ait Propheta, *Misericordia ejus praeveniet me.* Ps. etiam 22. v. 6. *Misericordia tua subsequetur me.*

**IV.** Alia gratiae divisio, & omnium modò celeberrima est in sufficientem & efficacem: de qua dicitur postea.

SECTIO SEXTA.

De divisione gratiae in gratiam sanitatis & medicinalem.

**I.** **J**ANSENIUS lib. secundò de gratia Christi, cap. 3. gratiam rectè dividi affirmat in gratiam sanitatis & medicinalem. Gratia sanitatis illa est, inquit, quam & Angeli in Coelo, & homo in Paradiso ante lapsum habuit, ejusque naturam esse dicit, ut homini libertatem relinquat bene vel male agendi, cum ea operandi vel illam abjiciendi. Gratiam verò medicinalem illam appellat, quae homini post lapsum conceditur, quam ejusmodi esse ait, ut habentem, ad actum ad quem movet, R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 1.

necessitet, nec ullam ei relinquat indifferentiam ad dissentendum, vel ad gratiam illam abjiciendum. Angelis ergo, inquit, & primo homini integrum erat adjutorio illo uti vel non uti, consentire vel dissentire, acceptare illud vel repellere, secus tamen ait rem se habere in gratia medicinali; hanc enim docet volendi & assentiendi necessitatem imponere.

Hanc gratiae divisionem à se inventam, vel saltem è tenebris, in quibus diu latuerat, in lucem erutam gloriatur Jansenius, recentioribusque Theologis planè ait esse ignotam, quibus proinde exprobrat, quòd inter gratiam hominis stantis & jacentis, innocentis & lapsi, vulnerati & integri gratiam distinguere nequeant, eorumque hac in parte caecitatem vehementer mirari se affirmat. Hec ille: cum tamen nihil contra hos Theologos hac in re opponat, quod multis ante Jansenium annis à Calvino Patribus Tridentinis non sit objectum, idque ex S. Augustino, à quo ut Jansenius, ita & Calvinus hanc doctrinam hausisse se affirmat. Quae omnia fusè prosequitur optimèque ostendit Pater Stephans de Champs lib. primo, Disp. 3. cap. 2. & sequentibus, ad quem lectorem remitto.

Unum tantum Calvini locum proferam, qui decretum illud Concilii Tridentini, quo definitur, hominem praevenienti gratiae resistere ac dissentire posse, oppugnans, sic de Patribus Tridentinis loquitur: *In eo, inquit, hallucinantur, quòd notum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quòd nullum observant inter regenerationis gratiam, quae nunc miseria nostra subvenit, & primam, quae Adae data est discrimen.* En ipsissimum Jansenii doctrinam, ab hoc haereticum diu ante traditam: quam Calvinus vestigiis insipientes posteriores etiam haeretici amplectuntur, & ut primum factionis suae dogma statuunt. Denique doctissimi viri qui postremis haece temporibus religionem catholicam contra illius oppugnatores defendunt, hoc Calvinus & sequacium placitum, velut haeticum, ac Tridentinae Synodo è diametro oppositum infestant. Quis ergo sine stupore & stomacho audiat gloriantem Jansenium, se primum fuisse hujus dogmatis inventorem, vel saltem primum illud in lucem protulisse, cum nihil tritum magis fuerit & pervulgatum, multisque ante ipsum annis, catholicis juxta & acatholicis doctrina haece fuerit perspecta, & ab his defensa acriter, ab illis multò acrius oppugnata.

Hoc ergo Jansenii effatum, gratiam scilicet hominibus post Adami lapsum concessam, vim eorum voluntatibus, operandique necessitatem imponere, ut haeticum Fideique & Ecclesiae sanctionibus contrarium rejiciunt quotquot hac ætate bellum haeticis indixere. Hanc etiam ejus doctrinam, qua affirmat gratiam ad bene, concupiscentiam ad male agendum necessitare, ex Scriptura, Conciliis & Patribus, ac demum variis adductis rationibus latè confutavi supra, Disp. 85. quae haece de re tota est conscripta, nec ibi dicta istuc repetenda cenfeo.

Quia verò, ut in aliis, ita in hoc etiam haeticos imitatus Jansenius, ut haece suis dogmatibus, quibus non malè metuere non poterat, auctoritatis aliquid ac ponderis aliunde saltem emendicationem acquireret, ad S. Augustinum velut ad asylum confugit, ut tanti Doctoris nomine veluti Scuto septemplex tectus, impetentium ictus declinaret, & quisquis in ipsum, idem in D. Augustinum conjicere

**II.** Recentioribus Theologis exprobrat ignorantiam.

Hoc Jansenii dogma ab haeticis est desumptum.

**III.** Calvinus in Antidoto Conc. Trid. pagina 278.

Catholicis juxta & Acatholicis haece Jansenii de gratia doctrina dudum fuit notissima.

**IV.** Hoc Jansenii dogma ab omnibus reprobatur haeticis.

**V.** Ad S. Augustinum eum haeticis confugit semper Jansenius.



*Nulla sum-  
dammodo ad  
suum de-  
grammum de-  
fensionem  
S. Augustini  
testimonia  
adducit.*

conicere telum videretur, eodemque jaculo utriusque caput peti: hoc, inquam, effugium ei ut præcluderem, illumque specioso hoc patrocinio denudarem, varia S. Augustini ex libris tum antea tum post Pelagianam hæresim exortam scriptis adduxi testimonia supra Disp. 85. quibus clare ostendi apertissime affirmare ipsum nullam omnino nobis in hoc statu naturæ lapsæ imponi ad vel bene vel malè agendum necessitatem, Sanctique Doctõris mentem Jansenio vel non satis perspectam fuisse, vel callidè dissimulatam, ut simplicioribus fucum faceret, & in sua per fas vel nefas dogmata incautos pertraheret.

## SECTIO SEPTIMA.

*Argumentum à Calvino, Iansenio & aliis contra Doctrinam Catholicam de Gratia propositum: ubi etiam de adjutorio quo, & adjutorio sine quo non.*

**I.**  
*Dicit: Si gratia non imponat necessitatem, potest homo de bono opere gloriarì.*

**O**BIECIT Jansenius: Si gratia naturæ lapsæ in voluntatis potestate relinquitur ut agat vel non agat, & agendi necessitatem non imponat, ergo poterit homo de bono opere gloriarì, sibi que partem laudis inde provenientis ascribere, & non totum Deo tribuere, quod impium esse affirmat. Hanc objectionem, ut alia prope omnia desumpsit etiam Jansenius ab hæreticis: Calvinius enim, acerbè in Tridentinos Patres invehitur, quòd nos Divinâ gratiâ ita præveniri pronuntiant, ut electio in nostra potestate sita sit, illique assentiri possimus vel dissentire, nec volendi nobis necessitatem imponat: quod impium, sacrilegum, & Pelagianum appellat.

*Calvinius in  
Austro  
Cone. Trid.  
ad sess. 6. c. 6.*

**II.**  
*Gratiam medicinale non necessitate est certissimum.*

Sed quicquid dicant Calvinius & Jansenius, certissimum est gratiam in naturâ lapsâ hominibus concessam non inferre necessitatem, sed voluntatem in suâ indifferentiâ relinquere, ut ei cooperetur vel non cooperetur. Hinc Sanctus Augustinus libro de Spiritu & literâ, cap. 34. *Miseri cordia Dei, inquit, prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, nostra voluntatis est.* Plura hæc de re videri possunt supra Disp. 85. ubi hanc veritatem fusè probavi.

**III.**  
*Qui divina gratia respondet, potest gloriarì, sed in Domino.*

Ad id ergo quod obieciatur: sequi nimirum hominem illum, qui gratiæ & vocationi divinæ liberè respondet, posse gloriarì: contra est, in statu enim innocentie potuisset secundum Jansenium citra impietatem gloriarì, quidni ergo idem præstare poterit homo lapsus. Dico itaque posse eum gloriarì, sed in Domino, qui & velle dat & perficere, qui que per gratiam suam ita nos movet, ut assentiamur, & facit ut faciamus, ita nimirum gratiam suam voluntati attemperando, eamque opportunè, seu in iis circumstantiis dando, ut assensum nobiscum (dicente Apostolo, Gratia Dei mecum) nobis scilicet cooperantibus, eliciat

quidem, non tamen extorqueat, sed suaviter in animam per sanctam inspirationem illabendo, ita suadet ut persuadeat, efficitque ut per assensum liberum manus demus, illuminationique ab eo immixtæ, ultro obtemperemus. Quod quo pacto contingat, per scientiam scilicet conditionatam, per quam & singula novit, & sapientissime disponit, ac gratiam parat, quâ videt eum cui datur, liberrimè consenturum, postea latius declarabitur.

Ad id quod additur de laude, inprimis idem etiam sequitur in statu innocentie, ubi secundum hos bonis operibus laus debetur: idem ergo contingit in naturâ lapsâ: Hinc Ecclesiastici 31. v. 8. dicitur: *Beatus qui inventus est sine macula &c. quis est hic, & laudabimus eum.* Deus insuper laudat Job, quod esset simplex, & rectus, ac timens Deum. Alii etiam frequenter in Scripturâ ob virtutem laudantur.

Quo ad secundum in titulo propositum de adjutorio quo, & adjutorio sine quo non. quæ ex sancto Augustino sunt desumpta, vult Jansenius, & ante ipsum Calvinius, à quo id accepisse is videtur, vult inquam, adjutorium quo idem esse ac gratiam homini post lapsum à Deo collatam, eamque vim ei cui contertur, & bene agendi necessitatem inferre. Per adjutorium verò sine quo non intelligit Jansenius auxilium illud, quod operandi facultatem tribuit, sed citra effectum: & hoc sanctum Augustinum per hæc adjutoria intellexisse contendit.

Sed quicquid sit, quod sanctus Doctor per hæc voces intelligit, de quo non satis constat, velit, per me licet, adjutorium quo esse gratiam, quæ certò & efficaciter operatur in nobis velle, nusquam tamen affirmat S. Augustinus adjutorium hoc inferre vim voluntati, agendique imponere necessitatem, ut Calvinius, Jansenius & alii mordicus contendunt: immò sapientissime affirmat contrarium, ut & hæc & supra, Disp. 85. variis adductis illius testimoniis, apertissime ostendi.

Deinde hoc adjutorium non fuit tantum in naturâ lapsâ, ut perperam docet Jansenius, sed etiam in integrâ. Hinc S. Augustinus libro duodecimo de Civitate Dei, capite nono affirmat *amorem castum, seu bonam voluntatem, & caritatem diffusam in Angelis fuisse per Spiritum sanctum, qui datus est illis, & per quam ad Deum sunt conversi.* Adamum etiam & Evam actus aliquos bonos in statu innocentie elcuisse, Deum scilicet laudasse, eique ob creationis suæ beneficium, ac tot bona in eorum cumulatè collata gratias egisse, indubitatum est, ergo habuerunt ad hoc actus adjutorium quo, quamvis circa præceptum non comedendi de ligno vitæ defecerunt, sicque quo ad illius præcepti observationem, tantum habuerunt adjutorium sine quo non, seu gratiam sufficientem. In utroque ergo statu, tam naturæ integræ quam lapsæ duo hæc adjutoria, nempe sine quo non, quod & adjutorium possibilitatis, seu gratia sufficiens appellatur, & adjutorium quo invenitur, quorum utrumque in suo genere concurrat, neutrum necessitat.

*Attemperata gratiam Deus, ut homo liberè sit ei assensurus*

IV.

*Bona bonorum operibus in naturâ lapsâ debetur laus.*

V.

*Quid de adjutorio quo, & adjutorio sine quo non dicendum.*

VI.

*Quædam per adjutorium quo intelligitur gratia efficiat, nihil fuerit Jansenius.*

VII.

*Adjutorium quo non solum fuit in naturâ lapsâ, sed etiam in integrâ.*

*Adamus & Eva actus aliquos bonos elcuisse in statu innocentie.*